1607 *mune hoc pacis publicæ bonum omni vigore animi incumbat, injunctum.* Solerio Senatus conſulto reſponſum: *Si Carolus Venetias venerit, Patres non modo, verum cunctos civitatis ordines hilari animo ipſum excepturos.* Addita Solerio lautia, quingentorum aureorum torquis dono datus. Eodem tempore Caſtillioneus Venetias pervenit. Se una cum Sabaudo a Cæſare ad Rempublicam legatum, inquit: illius adventum, ita eo conſentiente, ut, quo loco negotium eſſet, intelligeret, progredi voluiſſe; reſponſum quamprimum Senatus expectare. Quæ ideo hactenus acta fuerant, quæque Regum legatis recitata, eadem Senatus conſulta fuerunt ſignificata. Cum eo reſponſo poſtridie diſcedens Romam proficiſcitur.

Franciſcus Caſtillioneus Marchio a Cæſario Venetias venit.

Interea tumultus apud Rhætos magis in dies augebantur. Cum enim trium circiter millium peditum præſidium Vulturenæ valli impoſuiſſent, neque eorum ſpei a fœderatis ſatisfactum ſibi videretur, ne pecuniam a Republica exhibitam reciperent, tranſalpinis perſcripſerant: duoque Rhætorum præfecti, Fuentani promiſſis onerati, Mediolano in ſuas ditiones ſe contulerant, infimam plebem in proceres concitaverant, inteſtinum ac civile bellum aluerant, cuncta ſeditione repleverant. Itaque Rhæti ad Jantum oppidum concilium indixerant, in quo de tranſitu ex fœdere Venetis permittendo ageretur: neque enim in id proceres, abſque omnium conſenſu, ea rerum perplexitate ac turbatione, conſentiendum exiſtimaverant. Eodem tempore literæ a Joanne Baptiſta Padavino, Decemvirum ſcriba, e Lotharingia afferebantur; quibus literis ea, quæ cum Helvetiis ac Vaudemontio egerat, continebantur: *Per Tigurinos, Bernates ac Baſilienſes Helvetiorum pagos pertranſiiſſe; trium peditum millia, per eorum fines externo militi tranſitum obtinuiſſe; inde lente admodum militibus Reipublicæ nomine conſcribendis operam navari cognoviſſe; idque Pontificis literis effectum, quibus Carolum Patrem ac Cardinalem filium, ne Venetis opem ferrent, hortabatur, rogabat: indignum eſſe, ut, qui catholicæ religionis ſemper propugnatores fuerant, modo in ipſum Pontificem arma induerent: non de Franciſci Vaudemontii filii, qui jam muneris ſibi a Venetis injuncti tempus expleverat, dignitate*

Rhætorum tumultus Fuentani comitis opera excitatus.

Pauli Pontificis literæ ad Lotharingiæ Ducem, ne Venetis milites conſcribi permittat.

agi;